HOMAGIUM
JOVI PRÆSTITUM.
DRAMA MUSICUM,
Cùm
SERENISSIMO
ET POTENTISSIMO
DOMINO, DOMINO
CAROLO
ALBERTO
Utriusque Bavar. ac Super. Palat.
Duci, S. R. I. Principi Archi-Dapifero,
& Electori, Com. Palatin. Rhen. Landgrav.
Leuchtenberg. &c. &c.
Provinciarum suarum Status solenne
Obsequium jurarent,
exhibitum,
& humillima devotione dicatum, dedicatúmque
ab Electorali Collegio Societatis JESU
MONACHII,

Typis Joannis Lucæ Straubij, Anno 1727.

STAATS- U. STADTBIBLIOTHEK
AUGSBURG

ARGUMENTUM.

GEminatæ nobis lætitiæ, justissimíque gaudij materiam offers, Elector Potentissime: quarum alteram Serenissimæ Electrici Tuæ MARIÆ AMALIÆ: alteram toti debemus Bavariæ. Ab hac clementissimè admittis solenne Homagium: ab Illa Pignus accipis longè dulcissimum. Eodem tempore Dominum Te Clementissimum salutat Bavaria, quo Patrem Te felicissimum fecit AMALIA; ita ut Majestatis titulum videaris noluisse admittere, nisi conjunctum ostenderes nomen Amoris. Permitte, ut in utroque maximum nos quoque Te veneremur humillimo ac devotissimo Musarum obsequio; nec dedignare voces istas communis, quæ tuas & exteras latè provincias implet, lætitiæ interpretes tantisper excipere, dum generoso vagitu longè dulciùs parvus in aula Tibi applaudit Julus. Argumentum ex Mythologorum placitis constructum est. Fundamenta, omnibus nota, jecit Ovidius, dum Libro Fastorum 5. sic canit:

Terra feros partus, immania Monstra, Gigantes
Edidit, ausuros in Jovis ire domum.
Extruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Jovem.
Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce,
Vertit in authores pondera vasta suos.

 His

His fundamentis, ut superstruere reliquum Fabulæ ædificium possemus, ex amplissima Poëtarum lateraria mutuati sumus lapides, quicunque videbantur commodi, & in rem opportuni Enceladus igitur, atque Ægeon Telluris, seu, quod idem est, Berecynthiæ filij parére Jovi recusant; Deas insuper terrestres abstrahunt suas in partes. Dearum beneficio etiam Vulcanum sibi adjungunt. Hic Jovi sua negat fulmina; sed à Pallade circumvenitur, dum sub Dianæ habitu trisulcas eblanditur faces, Jovíque restituit. Titanum audacia, jam sui secura, nihílque, quod formidare posset, jam suspicata vindicem repentè sentit Tonantem. Reliquus terrestrium Deorum, Dearúmque Chorus, funesto exemplo, ut saperet, admonitus, Jovi solenne præstat Homagium.

Dij Terrestres.	*PERSONÆ.*	*Dij Cœlestes.*
Enceladus } Titanes.		Jupiter.
Ægeon } Titanes.		Pallas.
Briareûs } Titanes.		Mercurius.
Berecynthia Mater deorum.		Genius Junonis.
Vulcanus.		Chorus deorum cœlest.
Flora.		Chorus deor. terrest.
Pomona.		Chorus Cyclopum.
Ceres.		Chorus Venatorum.

SCENA

SCENA I.

Jovi delatum Regimen gratulantur Superi.

Jupiter. Pallas. Mercurius. Chorus Deorum cœlestium.

Jup. BEne eſt! optatis fluunt res noſtræ principijs.
Diligimur ſubditis.
Sors prima regum, ſubditos habuiſſe volentes.
Premant invitos tyranni,
Et renuentes mittant in vincula gentes.
Me juvat amari.

Pall. Et nos à Jove ſic gubernari.
Capeſſe ſceptra felix, quæ meritum tibi contulit,
Quæ tibi amor ſervabit.
Te principe, ter ſe beatos cœli proclamāt incolæ.
Dignare Pater, ſincera tuorum
Excipere vota Divorum.

Chorus Deorum.

Regni longam fauſtitatem,
Et bonorum ubertatem
Te potente,
Te regente,
Auguremur,
Et precemur
Una voce Superi.

Saltent Stellæ, ſonent tubæ,
Totum cœlum ſit innube,
Grex aſtrorum
Ducat chorum,
Sol & Luna
Micent unà
Duplicentur radij.

Jup. In veſtros uſus ſervabor, dilecti Cœlites,
Si me ſervari, fauſtíſque beari
Jubetis ſideribus.

Aria.

Affectus ſubditorum
Columnæ ſunt regnorum,
Regúmque gloria.
Si reges diligantur,
Sat regna propugnantur,
Pax regnat aurea.

Tela in poſterum licebit triſulca deponere:
Veſtra ſtudia tam moleſto me levant onere.
Quas Aquila ſubminiſtrabit regia,
Erunt ſtricturæ non niſi clementes,
Auricomo ſplendore fulgentes.

Pall. Utinam flammas, pater alme, fatales
Non te cogant reſumere ſceleſti mortales.
Utinam ſentire te potiùs velint beneficum,
Quàm fulmineum!

Aria.

Aria.

Optanda planè res,
Et fauſtitatis maximæ
Si poſſis abſque fulmine
Subjectos gubernare:
Sed fallit iſta ſpes.
Peccatur in clementiam,
Severam dum potentiam
Cogamur demonſtrare.

Jup. Non ſic oderint ſeipſos inſani terrigenæ,
Noſtra ut recuſent imperia,
Vel dubitent conſueta præſtare homagia,
Quæ, me jubente, poſtulaturus ivit Mercurius.
Quanquam dilati reditûs
Mihi diſplicet mora.
Impedimenta, quæ intervenerint,
Auguror fuiſſe majora.

Pallas. Nî fallor, hàc ipſum cernimus ingredi.

Jup. Legatorum fidiſſime, quid refers Mercuri?

Merc. Summi præpotens Monarcha poli,
Quæ exponenda ſunt, liceat exponere ſoli.

SCENA II.

Enceladus cum fratribus conſpirat in Jovis excidium.

Enceladus. *Ægeon.* *Briareus.*

Encel. I nunc & Jovi refer, verboſe Mercuri,
Reſponſum Enceladi.

Nam

Nam quouſque imperioſa Superûm
Se extendet potentia?
Quem ſibi figet regnandi terminum?
Ergo ſupremâ poli non contentus provinciâ,
Sceptra capeſſet Jupiter etiam terreſtria?

Ægon. Et colla dominanti nos ſponte ſubjicimus?
Vah! turpe dedecus!
Huc redigantur tui, alma Cybelle, filij,
Potentes deorum poſteri?

Briar. Quid juvat, parente natos eſſe Titane,
Si patrio nos regno excludat violentia?
Si filijs à genitore nil eſſet, niſi nomen inane?

Encel. Fratres, querelarum deſinite,
Et mecum audere magna incipite.

Ægon. Licétne ſcire, qua caleat flamma pectus,
Quid moliatur?

Encel. Ardua molimur facinora:
Sed quæ immenſa cum gloria
Dies finiet hodierna,
Si cum Encelado corda conſpirent fraterna.

Ægon. Habes in omne juratos obſequium.

Briar. Nullum deprecaturos periculum.

Encel. Bene eſt. Hæc ergo convexa, fratres,
Hæc, inquam, ſpectate palatia.
Hæc noſtra, ſi audemus, eſt regia.

Ægon. Ecquis repugnet fortunæ ſic obviæ?
Quis velit regna, quæ debentur, contemnere?

Encel. Dum terras Jupiter, cœlúmq; ſibi ſolus deſtinat,
Utroque depulſus excidat.
Pateat, num ſoboles armata Telluris

Non

Non possit, non audeat utroque de limite
Vel cum Jove contendere.

Aria.

In vanum
Non gerimus nomen Titanum;
Nam dotes regales
Olympo regendo æquales
Mox demonstrabimus
Cœlitibus.
Stat jura,
Quæ nobis concessit natura,
Hoc ferro vindicare,
Si opus est stygem armare
In Jovis ultimum
Excidium.

Ægeon. At putan' Encelade, Matrem nostris accessuram consilijs?
Difficilis foret alea,
Invitâ bellum tentare Berecynthiâ.

Encel. Invitam fore ne crede.
Si se nobiscum meliore locandam in sede,
Si noverit regna terrestria
Mutanda Junonis cum Regia.
Jam tentavi Matris animum, tentaturus iterum;
Perficiendum penitùs mihi sumo negotium.
Vos agite vestrum.
Tu Ægeon, genus omne Deorum atque Dearum
In terris reliquarum

In noſtras laborabis pertrahere partes.

Ægeon. Cunctas impigri movebimus artes.

Aria.

Vota ventis pande plena,
Dum tempeſtas eſt ſerena,
Freta dum ſtant placida.
Sors non omni venit hora:
Ubi adeſt, abſit mora;
Amat prompta ſtudia.

SCENA III.

Berecynthiam ob triſte ſomnium ſolicitam animat Enceladus.

Berecynthia. *Enceladus.*

Berec. AN veras mihi depinxit hodie
Infauſto Morpheus penicillo figuras,
Suum, quod averruncent Superi,
Eventum habituras?
Væ Berecynthiæ Matrum infeliciſſimæ,
Si mea ſomnia fiant præſagia.
Videbar meos mihi videre natos,
A mémet contumulatos.

Aria.

Infelicem genitricem
Quæ ſuorum filiorum
Ipſa Libitina ſit!

Triſte

Triste fatum si est ratum,
Truculento cur tormento
Priùs me non conficit?

Encel. Quid aspectus, ô Mater, tam mœstus?
Quid lamentantis fœminei questus?

Berec. Ah fili! fili mi, Encelade.

Encel. Licétne causam suspiriorum exigere?

Berec. Frustra exigis, quod eloqui
Imminentis non sinit pondus periculi,
Linguam & verba opprimente dolore.

Encel. Dolor minuitur, qui loquendo communicatur.

Berec. Magìs imprimitur, quod multis narratur.

Encel. Nemo si sciat, nemo medebitur.
Ignorata Machaones non curant vulnera.
Retegenda plaga est, quæ postulat pharmaca.
Qua parte premat ulcus, jubetur aperire,
Qui non vult perire.

Berec. Contingat utinam perire potiùs,
Quàm tristes, quos minitantur somnia,
Fatorum spectare exitus.

Encel. Minæ, quas sola minitantur somnia,
Sunt ridendæ, non metuendæ.

Berec. Arcanâ nisi pectus violentiâ
Cogatur metuere vel somnia,
Nimium fortasse veritatis habentia.

Encel. Veritatis eventu fortasse carentia.

Aria.

Quid læva ob auguria
Dolemus ante tempora,

Et antequam huc fata
Venire destinata
Ad cruciandum veniant,
Excruciamus nos?
Maturè satìs doleo,
Si doleo, cùm sentio,
Fleamus, quando flendum;
Cadamus, cùm cadendum;
Statuto sibi tempore,
Non ante cadit flos.

Berec. Resiste fili! afflictæ Matris solatium.
Loquar, si loquendi des spatium.

Encel. Quodcunque est, exprome tandem; quid juvat mora?
Tacendo cogis Enceladum suspicari pejora.

Berec. Solve reluctantem in verba linguam, si vales,
Et pande scenas, si sic necesse est,
Tibi, tuísque fatales . . . .
Primo jacebant membra submersa sopore,
Cùm insolenti plena horrore
Se dat imago spectari.
Scansurus altas tu mihi videbaris, Encelade,
Quadrigas gloriæ,
Et lætâ fratrum comitante coronâ
Splendentibus propinquus ire sideribus.

Encel. Ergo filiorum gloria materni est causa doloris?

Berec. Causa solicitudinis.
Totius exitum adverte imaginis . . .
Cùm subitò plùs quàm funereæ stridere tubæ,

Triſti cœlum involvi nube:
In ſandapilam quadrigæ ſplendentes mutari,
Tumuli ingentes parari.
Quid iſta vellent, trepida me voce rogantem,
Reſponſo Morpheus ſpontaneo
(Sed quod ferire fulmen profundiùs me nullum
poterat)
Híſque me verbis occupat:
Tuas ipſa tu ſoboles,
Quas dediſti, Mater ſepelies.
Fili, dira dum tempus ſinit, elude fata.
Me, me ſterne priùs, me ſtratam ſepeli,
Triſti ſuperſtes eſſe ne cogar muneri.

Encel. Curas, Genitrix dilecta, potiùs
Vaniſſimis comitatas terroribus
Alto ſepeli ſecura tumulo.
Nil tibi, nil metue Encelado.
Vin' ut, major Apolline,
Ænigma nocturnum tibi pandam è Tripode?

Berec. Ah clarè jam ſatis augur rem pandit animus.
Abundè video prænuntiati cauſas interitûs.
Obſequium Superis malè negatum,
Conſilium, quod cœpiſti, Martis inauſpicatum
Vindictam provocat, mihi crede, divinam.
Hoc in veſtram, dum ſumma petitis,
Abibit ruinam.

Encel. Auguria meticuloſæ mentis, non veritatis.
Quin ſic habeto.
Tu, tu ipſa ſurgentem tuorum

Sepelires gloriam filiorum,
Si Jovis dicata videre nos malles mancipia,
Quàm cœlestia occupantes imperia.
Nunc,credere magisne placeat somnio, an filio,
Tecum sola delibera.

SCENA IV.

Flora, Pomona, Ceres parant se excipiendo Jovi.

Flora, Pomona, Ceres.

Flor. DIlectæ sorores, manus occupanda est utraq;:
Labores urgete.
Ornatui, quantum potestis, augendo studete.
Hospitem in propinquo habemus Tonantem.
Ceres. Audisne, Pomona, se pro more jactantem?
Flor. Areolas in horto disposui perelegantes,
Peregrinis coloribus, mirisque odoribus
Non vilia oblectamenta præstantes.
In novas tota tempe jussi migrare figuras.
Spero, non displicituras.
Pomon. Jovis oculos sic tui fascinabunt colores,
Ut vix possit respicere dona,
Quæ feret Pomona.
Flor. Jocantes intelligo,
Tuas, ô Ceres, dum divitias video,
Tuáque dona, Pomona.
Ego meæ mihi conscia tenuitatis

Tam

Tam pretiosa præstare haud possum obsequia,
Quæ vos præstatis.

Ceres. Non ita sentit, ut loquitur Flora.
Haud ignorat suorum ornamenta hortorum.
Præ rusticis agrorum manipulis
Multò utique amœniores
Tui sunt Flores.
Libanitides quantùm superstant cedri myricas,
Nostras tantùm superant tuæ rosæ, & lilia spicas.

Pomon. Nam quid improvida egi,
Quòd vilium tributa fructuum
Meis in viretis collegi?
Absit, ut Jovem tam humilibus colam muneribus.
Quod dignum supremo Principe,
Divino hospite
Tu sola exhibebis, ô Flora.
Nos recedemus, ut sidera, præsente sole, minora.

Flor. Amaros cessate aculeos;
Amœbæo absistite carmine.
Nec spernere soleo, nec sperni me tolero.

Ceres. Vin' ergo nos loqui seriò?

Pomon. Vin' laudari pro meritò?

Utraq; Vin' audire, quod sentio? vin' scire, quid tuus sit flos?

Aria.

Glaucoma formosum, inane,
Leviculum, summo quod mane
Splendore ingenti,

Sed

Sed pleno figmenti,
Cum folijs explicat se.
Vix altior Phœbus ignitas
Emittit ab axe sagittas,
Jam timet, jam pallet,
Latere jam mallet,
Et tumulo præparat se.

Flora. Contemnit invidia, quod nescit assequi.
Vestri, si audetis, colligite vires ingenij,
Et vel in annuo efficite spatio,
Die quod Flora perficit unico.
Pomona quamdiu unico laborat in stipite?
Quantum suo Ceres sudat in stramine?
Quid vestro sudore, quid vestro labore
Mihi præstatis simile?

Aria.

En! quid Pæstano flore
In purpuræ rubore
Ardescit pulchriùs?
Tot gratijs impletur,
Invidia creetur
Ut ipsis regibus.
Regale quippe stemma
Ostendit ista gemma,
Micans in vertice.
Hinc undique satelles
Stat contra perduelles
Reginam cingere.

SCENA

SCENA V.

Ægeon Pomonam, Cererem & Floram avertit à Jovis obſequio.

Priores, & Ægeon.

Ægeon. DEarum, quæ in terris coluntur ſuaviſſimæ!
Licétne Ægeoni veſtro intervenire cõventui?
Pomon. Felices efficis, ſi te nobis indulſeris.
Ægeon. Per vos & mihi, & fratribus licebit eſſe felicibus.
Quanquam fœdus noſtræ fortunæ
Vobis, ô Divæ, cuperemus eſſe commune.
Nam quid ultra differo?
Condolentis munere functurus advenio.
Ceres. Nil triſtioris dies iſta fert ominis.
Flora. Niſi quòd invidiam patiamur ab æmulis.
Pomon. Per Jovem, quod jocus erat, tantiſper diſſimula.
Ceres. Hodie Superi ſuâ nos beabunt præſentiâ.
Devotam pridem licebit monſtrare fidem.
Ægeon. Miſeret me infelicium,
Conditionis ſuæ miſeriam non agnoſcentium.
Et ſervitutem turpiſſimam in fauſtitatis parte locantium.
Ergo manus ultrò inſeretis in compedes,
Veſtræ tam turpes dignitati,
Nocentiſſimas libertati?

Aria.

Libertas res eſt aurea,
Præ regnis pretioſa.

Deſpotica imperia
Mens odit generoſa.
Leones jugo renuunt
Bovillo alligari.
Nobilium eſt volucrum
Capiſtris indignari.

Flora. Placent monita, quæ ſuggeris, Ægeon, in tempore.
Opprimere nos tentant Cælicolæ,
Et libertatem evertere.
Ego Jovi non pareo.

Pomon. Parére me cogit neceſſitas,
Jovis egentem ſubſidio.

Ceres. Unde ſperabo rigaturas Gargara pluvias,
Si Jovi me ſubtraho?

Ægeon. Adeóne amicum ſemper experimini?
An fœdere vos colit tam inviolabili?
Quoties, infelix Pomona, fruges
In flore conſumptas ipſamet luges?
Quoties avita ſtemmata nullo ætatis privilegió
Viridantium honore frondium
Jacuêre ſpoliata, inter myricas proſtrata,
Cùm faces è Cœlo infeſtas
Ad Jovis nutum effudit irata tempeſtas?
Et tu, beata Ceres, animo etiamnũ patiente feres
Tonantem tua regna vaſtantem?
An non irriti labores Triptolemi
Juſtos moveant dolores Cereri?
Age, age, in poſterum, alma Regina jugerum,
Tu ſparge grana, vomere tu campos ſubige,
Inter

Inter flammigeri Sirij ardores
Moleſtos urge camporum labores.
Ale longam ſpem agricolæ,
Et ingentem promitte ſementem.
Quod integer tibi generat annus,
Momentum devorat, cùm intonat ille tyrannus.

Aria.

Pomon. Infelix ego dea
Ceres. Agnoſco damna mea.
Utraque { Sunt utique deflenda;
Sed tamen haud cavenda
Hæc damna mihi ſunt. }
Pomon. Sternuntur meæ arbores;
Ceres. Uruntur meæ ſegetes:
Pomon. Hæ fulmine,
Ceres. Hæ grandine,
Pomon. Me fruſtra lamentante,
Ceres. Me fruſtra laborante,
Utraq;. A Jove corruunt.
Ægeon. Quin ergo, damna ſi agnoſcitis, remedia poſcitis?
Quid pœnas ultrò majores
Juvat vel tolerare, vel expectare?
Quis locus remedio, nî juves conſilio?
O ſimplicem, pace veſtra, ſolicitudinem!
En certa remedia, prompta conſilia.
Modò veſtris efficere placeat artibus,
Quod effectum dare ſuadebimus.
Vulcanum, ô Nymphæ lectiſſimæ,
Vulcanum . . . Hìc intus plura.
Timeo arbitrum, qui venit, Mercurium.

 SCENA

SCENA VI.

Mercurius jubetur iteratò Terrigenas ad obſequium hortari.

Jupiter. Pallas. Mercurius.

Jupiter. AIn' ergo, obſequio te cultum tam eleganti,
Et hoc donatum reſponſo, quod ferres Tonanti?

Mercur. Audita retuli,
Quæ cùm audirem, infremui.
Nam repetito abeuntem me proſecutus convicio,
I, dixit, & hæc magno refer ab Encelado,
Qui Jovem, ſe præter, ignorat alium,
Ceſſurus nulli, quicunq; ſit, vel immortalium.

Pallas. Intolerandæ, Pater, monſtrum inſaniæ!
Quò non audet aſſurgere?

Jupiter. Suas quærunt ruinas miſeri,
Pugnare noſtro ſi ſperent Numini.

Aria.

Quid audet, quid tentat,
Quam furor dementat,
Inſana, profana
Terrigenûm gens?
Cum divis pugnare,
Triumphum ſperare
His telis à cœlis?
Quàm cæca eſt mens!

Sed

Sed age, an reliquorum in terris divorum
Parem ſenſiſti mentem?

Mercur. Nullius non obſequentem.
Pan ipſe ſuos animavit paſtores, & Satyros
Bacchus thyrſigeros.
Tuis aderunt volentes obſequijs,
Adeſſe cùm juſſeris.
Partes quidquid in ſuas traxêre,
Deæ ſunt meræ.

Jupiter. Quis ergo rebellem has urget in furias?

Mercur. Tua (audire ſi ſuſtines) hoc agit lenitas,
Indulgens & lenta nimiùm vindex in ſcelera,
Ex ipſo pœnarum non inflictarum
Languore creſcentia.

Jupiter. Sequentur promerita reos ſupplicia
Pede tantò ſeveriore, quò tardiore.

Pallas. At ſæpe dum tardo juſtitia greſſu inſequitur,
Crimen elabitur.
Malè tutum eſt noxas ſpectare creſcentes.
In cunis Alcides ſuos eliſit ſerpentes.

Mercur. Lapidem neglectæ paulatim excavant ſtillæ.
Devaſtatorum damna nemorum
Non ſtatim ſopitæ imputentur ſcintillæ.

Aria.

En indolem torrentis,
Qui montium & vallium
Minoribus fluentis
Immensùm, ut mare auget ſe.

 His

His fretus inſoleſcit
In urbium excidium,
In damna latè creſcit,
Maturè ſi non opponas te.

Jupit. Timorem deſine vanum:
Jovi matura tela ſunt ſemper ad manum.
Mercurius iterato rem priùs tentet allo-
quio ,
Quàm ſupremo nos uti cogamur excidio.
Age ad Berecynthiam rurſus allabere;
De filiorum inſanis conatibus edoce.
Dic, ſperare me, melioris indicia mentis
Daturos filios amore parentis.
Inſtare ultima negaturis obſequium;
Non unum volentibus offerri præmium.
Largos promitte favores;
Promiſſis majores ſubiunge terrores.

Pallas. Me interim, Pater, explorare ne veta ,
Quò fortè tendant, quid moliantur
Conjuratorum decreta.

Jupit. Per me, ſi lubet, in noſtra cōmoda témet applica,
Tuíque vires ingenij.

Pallas. Confide Palladi.
Non ſolo milite , non ſolo bella geruntur ro-
bore.
Quàm ſæpe fraude opportuna
Tota ſtetit belli fortuna!

SCENA VII.

Vulcanus à Nymphis exoratus, prohibet Jovi ſubminiſtrari fulmina.

Vulcanus. Flora. Pomona. Ceres. Chorus Cyclopum.

Chor. Cyclop. INſtate, ſudate,
Lacertos levate,
Lyæi liquores
Abſtergent ſudores.
Vi tota in craſſam
Incumbite maſſam,
Ut nullus ſit ictus
Incaſſum inflictus.
Inſtate, &c.

Vulcan. Sat eſt hodierni laboris, ô ſocij,
Quies concedenda incudi. Reſpirate,
Ab opere manum levate.
Fulminum majore nunc copia non indigemus,
Sed quæ habemus, repoſita ſecurè ſervate.
Nec nova, niſi me jubente, parate.
Clauſum volo armamentarium,
Nec inde concedi quidquam vel ad Jovis imperium.
Divæ! vobis aſſentior
Jupiter armis fit noſtris ſemper potentior.

Ceres. Formidandum nobis nóſmet efficimus,
Dum, quæ vibret, tela ſubmittimus,
In noſtras remittenda cervices.

Tandem

Pomon. Tandem mutandæ ſunt vices.
Non trepidabimus, ut trepidavimus antè.
Nam quid nobis cum aſtris? cum cœlo? cum Tonante?

Aria.

O Sodales ter beatæ,
Triumphate,
Sunt ſecuræ noſtræ res!
Jovis iræ cadunt vanæ,
Tu Vulcane,
Jove nobis major es.

Flora. Meum hodie vel iſtud redundat in gaudium,
Quòd hortus, in quo te nobis indulgere dignabere,
Quòd hortus, inquam, ſecurus fulminum
Solatium hoſpitibus daturus ſit plenum,
Olympum, Vulcane, dum coges eſſe ſerenum.

Vulc. Has mihi delicias an ultrò invideam,
Et veſtra conſortia, queîs nihil eſt ſuavius,
Diſturbandi maturiùs
Dem Jovi materiam?

Aria.

Hortorum atque florum,
Præ ſtellis licèt bellis,
Venuſtas rapit me.
Olympi Lux ſtellantis
Nec floribus nec plantis
Æquare debet ſe.

SCENA

SCENA VIII.

Berecynthiam curis anxijs implet Mercurius.

Berecynthia. Mercurius.

Mecur. DIcenda dixi, ô Berecynthia,
Tuis tu rebus invigila,
Natósque ab incepto ut desistant furore,
Hortare modo, quo poteris, meliore.

Aria.

It sponte in plenam
Discrimine Scenam,
Qui vires potentûm irritat,
Et bella, cùm potest, non vitat,
Ausurus majori pugnare.
Corvorum cohortes
In aquilas fortes,
Aut leporum timidi greges
In Lybicos nemorum reges
Incassum se tentat armare.

Berec. Quo vota verto, Labyrintho deprensa incerto?
Filiorum me movet gloria,
Jovis me terret potentia.
Si studiosa contendo juvare meos,
Iratos in caput hoc provoco Deos.
Utrinque infausta Tellus,
Periculosis involuta erroribus.

Aria.

Quid ſtatuis, quem ſequeris?
In rebus tam ambiguis
Quem eligis ductorem?
Amorem, vel timorem?
Amor hinc natorum,
Timor hinc Deorum,
Suadet ille claſſicum,
Urget hic obſequium.

Sed en, quos audire juvat, Enceladus, cum Ægeone.

SCENA IX.

Berencynthia ſuos dehortari à cœptis conatur.

Berencynthia. Enceladus. Ægeon.

Berec. NAti, ſtat vela vertere,
Stat Jovem agnoſcere.

Encel. Mater, ſtat vela magis intendere,
Stat Jovem evertere.

Berec. Date moram decretis, maternis date locum monitis.
Dilecta pignora, experta novi,
Irato quanta ſint arma Jovi.
Quid dubia tentamus maria,
Et non evitanda ſcopulorum diſcrimina?

Ægeon. Diſcrimina, mater, nos animant, non ſuperant.
Non niſi ardua coronantur facinora.

Aria.

Aria.

Heroum magni Spiritus
Angustis se limitibus
Non sinunt coarctari.
Nam solent vehementium,
Si irritantur, ignium
Naturam æmulari.

Berec. Angusti, ùt sint limites,
Modò tuti, modò sint stabiles.
Promissa Mercurius dat plus, quàm aurea,
Venerare Jovem, dlcit, ô Berecynthia
Nova sceptra capessentem,
Et, qua voles parte senties protegentem.
Quid dubitatis? Superûm utamur favore.

Encel. Et regno nos privemus majore?

Berec. Quæ sunt magna, non sunt semper felicia.
Majorum ruina major est, minor securitas
Nec tanti est gaudij, conscendisse sublimia,
Quanti mœroris, ad priora revocari subsellia.

Aria.

Quæ celso tument vertice,
Aguntur à vertigine,
Et suo sæpe pondere
Ad ima deturbantur.
It Phaëton in media
Præcipitatus flumina,
Jugales cum ad culmina
Jam summa ferebantur.

Bella

Ægeon. Bella auguria! jucunda ſolatia!
Sic naturæ obſequeris?
His matrem profiteris officijs?

Encel. Hoc nempe meruêre nati,
Ut regno, jure, gloria ſpoliati,
Repetere, quæ ſibi debentur, à matre vetentur?
Et cùm prona ad lauros ſint omnia,
Sola, ne carpantur, obſtet Matris invidia?

Aria.

Panthera, quamvis fera,
Sectatur raptos catulos
Per tela, per enſes medios,
Natura ſtimulante,
Nec ante
Dat in quietem ſe.
Amores num minores
Ignava mater ſenties?
An æqua mente perferes,
Ut læſa matris jura
Natura
Accuſet in te?

Berec. Filij, quò matrem cogitis?
In quas reluctantem procellas intruditis?

SCENA

SCENA X.

Flora Titanes fulminum jubet esse securos.

Priores. Flora.

Ægeon. SUfflaminata tandem sunt Matris obstacula.
Flor. Et Jovi (quid vultis amplius?) extorta sunt fulmina.
Implevi vota.
Tela, jubente Vulcano, sunt cuncta remota.
Vacat officina labore.
Ægeon. Et nos vacamus timore.
Sed vestris modò consulite rebus cœlicolæ!
Fatum, quod vobis imminet, est ultimum,
Est ineluctabile!
Encel. Et obsequium, quo terrestria obstringis numina,
O cunctarum decus immortale Dearum,
Est inæstimabile.
Nam quo te sat ornamus encomio?
Quo remunerabimur præmio?
Ægeon. In laboris mercedem
Regalem Palladis occupabis tu sedem.
Nos, dum labore vacat Vulcania,
Nostra maturamus negotia.
Flor. Maturate, & communi pro libertate
Fortes Athletæ certate.
Age Flora, an expleti consilij,

An ullius te laboris, quem ſuſcepiſti, pœniteat,
Minervæ ſolium laboris in præmium
Si tibi obveniat?

Aria.

Flora quid moraris
Nunc lilia & violas,
Quid roſas, aut quid tulipas,
Et topiaria?
Cœlo ſi locaris,
Pro lilijs & violis,
Pro roſis atque tulipis
Plantabis ſidera.

SCENA XI.

Pallas exploratis Titanum Conſilijs ſub ſchemate Dianæ Vulcanum convenit.

Pallas ſola.

Pallas. SIccíne ego Pallas ſim?
Ego Jovis ſupremi filia,
Et ignara non adverterim,
Quas fraudes, quæ fabricetis conſilia?
Intricata multo fila labore
Evolvam faciliore.
Et mihi ſunt artes, & mihi ſunt machinæ,
Et tractura mentes vis eloquij.
Nec ſolùm Floræ
Mel Atticum & Suada ſedet in ore.

Regi-

Reginam nemorum Dianam
Per avia & invia errantem
Agitatus interea dum cervus detinet,
Quàm opportunum technis locum exhibet!
Dianam mentiar.
Scio, quem mentita Pallas aggrediar,
Ut esse credar, inflentur cornua,
Cantentur venantûm studia.

Chorus Venatorum personatorum cum Pallade.

Cantate ter felicem
Per sylvas venatricem,
Cantate plagas retia,
Sagittas & venabula,
Dianæ gaudia.

Periculosæ turbæ
Dum perstrepunt in urbe,
Me recreant innocuis
Vel inter feras gaudijs
Frondosa Menala.

Si quando se protervus
Infert ad vota Cervus,
Confestim tela promimus,
Ab arcu certa mittimus
In feræ viscera.

Per tesqua vestigare
Sagaci canis nare

Non antè prædam desinet,
Quàm fatigata collocet
Ad pedes corpora.

Pallas. At hem! ibi; omnino ibi in Floræ Topiario
Deambulantem conspicio, cujus affatum cupio.

SCENA XII.

Jupiter submissionis & pacis spe frustratus, dum vindictam parat, telis destituitur.

Jupiter solus.

Aria.

Jupit. DAte fulmina, tela cruenta
Inaudita parate tormenta,
Rebelles cum tota tellure
Antiquæ in chaos naturæ
(Sic juro) convertere stat!
Vindictam si unquam horrendam
In genus rebelle ostendam,
Sit probrum quodcunque indultum,
Et omne sit crimen inultum,
Hoc mihi si pænas non dat.
Læsæ abundè indultum clementiæ.
Amputentur radices perfidiæ.
Satìs, nimiúmque satìs
Repetitis non obediri mandatìs.
Ad supplicia tandem armetur dextera.
Sed nostra quid tamdiu moratur Aquila?

Cur

Cur non adest, ut solet, ad nutum citata?
Date tela. Tela jubeo . . an Tonantis non audiuntur mandata?
An destituimur? inermes an prodimur?
Mora tanta non vacat periculo,
Nec vana fraudem præsagit suspicio.

SCENA XIII.

Pallas sub Dianæ schemate impetrat à Vulcano fulmina.

Pallas. Vulcanus.

Pallas. MAgne telorum arbiter, dilecte Vulcane,
Benignam si das aurem Dianæ,
Et supplicantem si dignaris excipere,
Æterno devinctam habebis fœdere.

Vulcan. Diva nemorum Præses, effare,
Quid gratum tibi possit Vulcanus præstare.
Tuis obsequijs, si modò admiseris,
Gaudebunt Siculi sudare camini.

Pallas. Novum non peto laborem,
Sed gratiam, multò, quàm credas, minorem.

Vulcan. Etsi maxima postules,
Repulsæ secura, fidelem me senties.

Pallas. Tua, ut video, non minùs benignitas,
Quàm rei me stimulat æquitas.
Dijs, deabúsque terrestribus, quod gratæ agnoscimus,
Favisti hactenus. Sed utinam . . !

Vulcan. An dubitas de favoris constantia?
Iniqua suspicione Vulcanum ne onera.
Clavam extorqueat Herculi,
Qui teli radium à me sperat vel unici.
Sentiat aliquando Jupiter, quid possit Mulciber.
Alta sedet mente reposita
Negatæ divos inter mensæ injuria.
Pallas. Agnosco fidem, & constantem adoro mentem:
Sed Jovem timeo nimis fore potentem.
Vulcan. Sine telis, sine fulminibus?
Pallas. Quæ importunus postulabit.
Vulcan. Quæ Vulcanus constanter negabit.
Pallas. Non credet vacuam omni telo Trinacriam.
Vulcan. Ipsus, si lubet, inspiciat.
Nec enim sciet, fabricatorum ubi telorum
Nunc copia latitat.
Pallas. Etsi reposita latitant, nondum cesso timere.
Tantúmne tu fidei das Bronti, das Steropi,
Ut prodituri sint nunquam, quod condidêre.
Venale genus sunt famuli,
Aurô ferrum si videant redimi.
Mea ergo si consilia, securitatẽ magis spectantiá,
Imò preces, & vota summa audire si velis,
Reconditis ne fide telis.
Fidei custodienda nostræ committe.
A Trivia nemo postulat fulmina;
Nec inter nemora quærentur arma cœlestia.
Hoc rogo, hoc supplex postulo.
Vulcan. Divinum adoro ingenium.

Con-

Consilium agnosco prorsus necessarium!
Hinc preces omitte; & quod jubes, habeto.

Aria.

Non debet supplicare,
Quæ potest imperare,
Diana impera,
Non supplica.
Est obedire gloria.
Amamus hæc imperia.
Cessamus esse numina,
Cùm rogat fœmina.

Claves ergo cape fatalis thesauri!
Qua parte Lemnia
Angustum se terminat in sinum Insula,
Stat alta rupes.
Ad lævam ingens se pandit hiatus.
Nostrorum ibi totus armorum
Sepultus est apparatus.

Pallas. O vive, ter maxime Dive!
Nunc læta propero; rem cita expedio.

Vulcan. En quàm submissas efficiat fœminas
Votorum suorum spes, & cupiditas.
Tam benignam, tam humanam
Hactenus non memini unquam fuisse Dianam.

SCENA XIV.

Jupiter à Vulcano postulat fulmina.

Jupiter. Vulcanus.

Jupiter. MUlciber, in officina quid agitur?
Vulc. Vacatur hodie.
Jupiter. Vacare, dum tanto res in discrimine?
Vulc. Admissurus dicebaris Homagium.
Credebam pacis inter studia, & festa tripudia,
Non indigere te fulminum.
Jupiter. Ambages mitte, & tela expedi, crude senecio.
Vulc. Unde expediam, nulla si habeo?
Jupiter. Suaserim; absolve moras!
Vulc. Quod dare non possum, incassum tu oras.
Stygias juro per paludes, meásque per incudes,
Totam si evertas Trinacriam,
Scintillam non erues unicam.
Jupit. Agnosco, sceleste proditor,
Sacrilegam agnosco perfidiam,
Hostes nostræ foventem coronæ.

Aria.

Vah! caput rebelle
Tu senties me;
An fides tam bellè
Habetur à te?
Da tela, quæ novi,
Vel nega, si vis.
Pro telis hæc Jovi
Est dextra: non scis?

Jupiter

Vulc. Jupiter maxime, deprecanti ignosce.
Quod res est fatebor. Fulmina Dianæ permisi omnia.
Ab illa, quod voles, reposce.
Jupit. Vah! probrum immane.
Summi arma Tonantis permitti Dianæ!
Age, data confestim repete,
Mihíque, nî sentire velis, restitue.
Vulc. Ah! optime Jupiter! est sparta difficilis.
Jupit. Age citò, quod jubeo, aut colum tractabis pro malleo.

SCENA XV.

Vulcanus à Diana ficta eluditur.

Vulcanus. Pallas.

Vulc. AT ecce! adest ipsamet,
Nunc Vulcane non fulmina,
Sed fraudes, si potes, tibímet fabrica.
** Ad Dianam.* *Satísne fidem, quam obligavi,
Dianæ liberavi?
Pallas. Abundè profectò.
Vulc. Nunquid major, quàm speraveras,
Telorum inventa est copia?
Pallas. Ab ipsa telorum copia
Tua se laudandam probat industria.
Vulc. Sed tantò majora, quæ timeantur, se monstrant pericula.
Pallas. Quid metuis? de mea num hæres constantia?
Iniqua suspicione Dianam ne onera.
Clavam priùs extorqueat Herculi,

 Qui

Qui teli radium à me ſperet vel unici.

Vulc. Rectè, quòd nulli eorum concedas arbitrium,
Niſi ſoli Vulcano.

Pallas. Neque tibi, Vulcane, etſi centies poſtules.

Vulc. Quàm jocaris inſigniter!

Pallas. Quàm deciperis ſuaviter!

Vulc. Putas me ludere?

Pallas. Putas me ludere?

Vulc. Quid ſi ergo tela seriò poſtularem?

Pallas. Ego ſeriò, quod poſtulares, negarem.

Vulc. Quod meum eſt?

Pallas. Quod meum eſt.

Vulc. Conceſſi ſervanda.

Pallas. Servabo conceſſa.

Vulc. Sed malè ſervabis, quæ fortè non potes tueri.

Pallas. Nemo ſi reſciat, quem cogar vereri?

Vulc. Jovi aliquid fortaſſe ſuboluit;

Pallas. Subolere, te tacente, quî potuit?
Tu prodidiſti, tu fidem datam rupiſti.

Aria.

En turpem blateronem!
En fidei latronem!
Ut pede claudicat,
Si verbô ſtat:
Mobilior eſt plumâ,
Inanior, quàm ſpuma.
Quàm dives fœdere,
Tam nullus re.

Parce

Vulc. Parce Dea, parce tanta in me convicia.
An quæ mea ſunt, repetere non licebit miſſilia?
Pallas. Vota ſunt inutilia.

Aria.

Vulc. An mera rupes es?
Benigna exaudi me!
Pallas. Quid importunus es?
Ne pluribus roga me.
Vulc. Non poſſum non rogare;
Pallas. Non poſſum non negare;
Vulc. Diana, ut rogem,
Pallas. Vulcane, ut negem,
Utraq;. Neceſſitas urget me.
An mera, &c.
Vulc. Ubi me hodie fortuna deſtituis?
Maledicta Floræ Viridaria,
Dianæ colloquia.

Aria.

Nympharum fraudes variæ,
Et artes plùs quàm Phrygiæ,
Ut muſculos muſcipulæ,
Quàm ſæpe decepêre me!
Quin tandem diſco ſapere
E proprio diſcrimine,
Ne nova rurſus compede
Ligatum irrideant me.

SCENA

SCENA XVI.

Titanes triumphum canunt ante victoriam.

Enceladus, Ægeon, Briareus.

Encel. NAm quid moramur? prona jam superest via;
Bipatentes invitant Olympi fores,
Suísque nos bigis ad sidera evehere gloria
Optat victores.

Ægeon. Montes impositi montibus
Tremenda Divis præbent spectacula.
Inferiorem Ossâ miratur se Cynthia,
Caput propinquum Saturno jactante Peliô.

Briar. Vidi fratres, vidi fugientia è cœlo numina.
Quà data porta, trepidum se protrudit agmen.
Orion suæ perdidit vaginam machæræ.
Miser tarditate Bootes
Bigas inani verbere frustra conatur urgere.

Encel. Nimirum fortes Deorum cohortes
In Ægyptiacas compulsæ latebras
Cæparum, ne agnoscantur, involvent se tunicis.

Ægeon. Vel monstrosarum latebunt sub pelle ferarum,

Encel. Sine, ut lateant!
Concedatur miseris triste solatium,
Africanum exilium.

Ægeon. Sed tu quid agis, ignave Jupiter!
Cur tuos destituis?
Cur Vulcanum clamore non urges majore?

Encel. Vah! dieſpiter! quis lævùm intonat?
Noſtrum protervus quis munus occupat?

Ægeon. Vani timores! Non ab alto venêre fragores.
Tentavit ignes, mihi crede, Vulcanus,
Joco luſurus innocuo.

Encel. Non ſuaſerim jocos tam importunos Mulcibero.

Briar. Iterata face arsêre cœli.

Ceres. Eheu! tremendi catapulta teli

Pomon. Fugite ſorores, fugite.

Flora. Magne Jupiter nunc Floram protege.

Encel. Tacete Jovem carentem fulmine.
Quod jaculatur, flammæ ſunt fatuæ.

Ægeon. Severiora tela ſublata neſcis,
Vel te orante?

Flora. Si non producta ſint à Tonante!
Non caret ſuſpicione ſecretum Dianæ cum Vulcano colloquium.
Noſtras nunquam verè eſt viſa partes fovere.
Jovem, mihi dixit, Jovem, ô Flora,
Amemus, non irritemus.

Ægeon. Novi Venatricem illam ſemper ambiguam,
Quæ, ut vultus eſt triplicis,
Sic cordis eſt duplicis.

Ce. Pom. Heu! heu! ſorores fugimus,

Flora. Jovem, Jovem nos colimus.

Encel. Ite, fugite ignava pecora, ad Plutonem migrate;
At ſtellas inter ſedem ne expectate.
Priùs ultimas ab orco locabimus in cœlum Furias

Ægeon. At nos vel inter fulmina, Jovésque deciduos
Ad metam pergimus.
Animo nil pulchrius constante,
Et magnos in hostes pugnante.

SCENA XVII.

Berecynthia ultimas preces adhibet.

Priores, & Berecynthia.

Berec. O Nati, quò ruitis desperati?
An extensa Matris non cernitis brachia?
An monita, an preces jam nullas auditis?
Aut parentem si monentem audire nolitis,
Saltem audite fulmina,
Sat efficaci voce monentia.

Encel. Molestiores fulmine, Mater, istæ sunt næniæ.
His utraque jam auris est fessa.
Nunc plura movere cessa.
Nam adamantem, non cor istud emollies.

Berec. At tu Ægeon, vel tu saltem ô Briareus,
Lacrymis aliquid maternis concede.

Ægeon. Jactam frustra moraris aleam,
Nunc, Mater, recede.

Aria.

Cede, cede, jam cessa morari,
Nos magna conari
Propinqua vult spes.

Si

Si eſt propè ad finem arenæ,
A curſu non bene
Detrahitur pes.

Berec. Bene eſt: ergo ego oblita parentis
Veſtris vos furijs, deſtinatis vos relinquo tormentis.
Animum miſerantis alienum non commovet,
Quem ſui non miſeret.

Aria.

Sequimini furorem.
Ceſſabo impedire:
Tam dulce ſi perire,
Perite per me.
Cor exue amorem!
Quod Matris eſt, expelle.
Quid genus hoc rebelle
Hoc probrum ad Te?

Encel. Vah! pudor tamdiu fæmineis retardamur à queſtibus,
Quos Jupiter non ſiſtat fulminibus?
Jo! fratres, morarum nunc liberi
Me ducem ſequimini.

Aria.

Triumphum cantate,
Et lauros parate,
Ad aſtra ſublimis aſcendo,
Avita ad regna contendo,
Quis prohibet me?

Nunc terræ valete,
Et aſtra ſalvete;
Habete, quem regem optâſtis,
Cui ſceptra coronam ſervâſtis,
En exhibet ſe.

Chorus Repetit, Triumphum cantate, &c.

SCENA XVIII.

Gigantes à Jove dejecti pereunt.

Jupit. AStra, rebelles, conſcendite,
Sed priùs in Tartara ruite! . . .
Habent! jacéntque, ſuis ſepulti ſub armis . . .
Orbis ſi Jovem neſciat, Phlegram aſpiciat!
Contemptor quicunque eſt Deûm,
Hoc ſubſiſtat ad Mauſolæum.

Aria.

Superbia, hîc ſta!
Contemptrix vana legum,
Quæ nulla, neque Regum
Agnoſcis fulmina,
Hîc pœnas da!
Non eſt, non eſt commentum,
Qui dicitur potentûm
Punire crimina.
Agnoſcis, quæ non noveras,
An ſentis, quæ deſpexeras,
Regnare Numina?

SCENA

SCENA XIX.

Flora, Ceres, Pomona de ſecuriori ſibi aſylo circumſpiciunt.

Flora, Ceres, Pomona.

Flora. FUimus! perivimus;
Ceres. Nam perire meruimus.
Pomon. Delictum commune eidem nos involvet fortunæ.
Uno tumulabimur funere.
Flora. Valete proin flores, meæ deliciæ.
Pomon. Valete arbores, maturis fœcundæ pomis,
Alijs fructificate colonis.
Ceres. O prata incaſſum virentia Cereri;
Quid vos tanto labore, tanto ſudore
Solicita colui?
Pomon. Quin ergo, quà licet, tutiora inquirimus.

Aria.

Cavernæ fidæ montium
Præbete nunc afflictis,
Et derelictis
Refugium.
Columbæ quærunt trepidæ
Accipitrem urgentem,
Et imminentem
Effugere.

SCENA XX.

Pallas veniam, gratiámque deabus fugitivis ſpondet à Jove.

Priores. Pallas.

Ceres. Citò, citò! Pallas jam imminet.
Et pœnas, ultura patrem, ſeveras exiget.
Pallas. Siſte Ceres!
Et tu Flora, tu Pomona, quò greſſum fugitiva feres?
Ceres. Permitte.
Flora. Ah permitte!
Pallas. Jubeo; ne hinc abite.
Ceres. An non permittes exilium?
Quid majus, ô dura vis urgere ſupplicium?
Flora. Parce miſeris, & mentem tam crudelem depone.
Pallas. Ah quantum erratis, ô bonæ!
Non urgeo ſupplicium, ſed ſpondeo gratiam.
Dum veſtræ patrona cauſæ Jovem conveniam.
Flora. Promiſſa dulcia,
Spe tamen, meritíſque majora.
Pallas. Confide ſecura, & me mihi relinque, ô Flora.
Vos hanc in aulam migrate.
Et cùm vocavero, adeſte paratæ.
Facilis eſt Superûm gratia,
Ubi peccantium non obſtat protervia.
Hinc & Berecynthia dignam ſe reddidit veniâ.

Quin

Quin ipſum Jovi jam conciliavi Mulciberum,
Alieno potiùs inductum errore,
Quàm ſuo furore.
Adeſt. Nunc res agenda.

SCENA XXI.

Homagium Jovi præſtatur, dedicantur Dona. optimum ſubmittit Juno.

Jupiter, Gen. Junionis cum reliquis.

Pallas. GLorioſæ, pater, applaudo victoriæ.
Jupit. Quæ tuæ non parùm debet induſtriæ.
O geminis mihi poſthac amanda titulis,
Et Dianæ, & Palladis,
Utroque bellè perfuncta officio.
Pallas. Fungar, ſi ſinis, nunc tertio.
Et ſi laudâſti venatricem,
Admitte inſuper & mediatricem.
Errorum, quæ commisêre, ſit reis venia.
Penſabunt delicta obſequiorum conſtantiâ.
Nunquam illuſtriorem ſe monſtrat regum potentia.
Quàm ſuos ſi radios ſeveris juſtitiæ nubibus
Miſcere permittatur Clementia.
Promulga veniam; nec ſine ut Palladis manum
Hoc pacis Symbolum, hæc occupet Oliva in vanum.
Jupit. Quid poſſem, filia, negare roganti?

Sed

Sed noſtra prævenis rogando decreta.
Memoria culpæ ſit omnis deleta.
Adeſſe jube præſentes, nil metuentes.
Funeſtæ migrent è cœlo tenebræ.
Serenitati cœlum ſe reddat priſtinæ;
Et cuncta mei ſpirent fortunam diei.

Pallas. Adſunt, ſi pateris,
Numina tuis juramentum dictura obſequijs.

Jupit. Adeſte dilecta Capita! adeſte, ſalvete
Et veſtra Jovem ad vota habete.

Berec. Rector Olympi. Niſi me prohibet triſte . . . .

Jupit. Præteritorum, Cybelle, abſiſte.

Berec. Si ſinis, ſi jubes, abſiſto.
Et tellurem proſterno totam,
Tua ſemper ad juſſa devotam.
Vos, ô filiæ veſtra mecum tributa deponite.

Flora. Ne ſperne roſas, lilia,
Candorem mixtum purpurâ,
Colorem gratiorem
Ego Flora neſcio.

Pomon. Pomona ex Arboribus offert præſtantiſſimas
Lauros, Palmas & Oleas,
Vel ad pacis curas,
Vel triumphi gloriam, ut placet', ſervituras.

Ceres. Sementis bonæ centuplum
Per immenſa jugerum,
Admitte ſis à Cerere.
Meſſem quoque auream dabo, ſed cum tempore.

Vulc. Ego tibi arma fabricabo
Invincibilia, hoſtíque nunquam non terribilia,
Ingentem meſſura ſegetem triumphorum.
Pallas. Ego Pallas Muſarum adjungo chorum,
Tuis dicatum obſequijs, paratum calamis
Jovis noſtri gloriam
Ad poſterorum tranſmittere memoriam.
Jupit. Admitto dona, & veſtros in donis animos.
Servate perpetuos.

Aria.

Agnoſco veſtra ſtudia,
Et mea in vos debita,
Nam populis, & ſubditis
Non ſibi vivit Rex.
Amare veſtra commoda,
Et mea vos ſub purpura
Protegere, diligere,
Eſt prima mihi lex.

Genius. Junion. Divi minores quicunque, recedite!
Date locum, date ſpatium famæ,
Fauſtæ fauſtiſſimæ.
Cùm Te, ô Jupiter Divi ſuis colant muneribus,
Deeſſe noluit lectiſſima Juno,
Quæ cuncta dono tibi mittit in uno,
Æterni habeto pignus Amoris,
Speíque adhuc majoris.

Berec. Verè aurea progenies, quæ nobis cœlo demittitur alto.

Vulc. O Magnum magni Jovis incrementum!

Aria.

Vah! quanta majeſtas in ore,
Ut mixtus eſt amor timore!
O pater, quàm totus hîc es!
Quàm lætas, quàm prorſus ingentes
Dediſtis, ô magni parentes,
Hoc veſtro in pignore ſpes!

Berec. Quin ergo plauſus geminamus, ô Numina, Patrem in ſobole, & ſobolem in Patre ſpectantia.

Jupit. Hic unà mecum veſtra vivit in commoda.

Vulc. Vivat, creſcátque felix!
Æterna Jovi, Jovíſque Stirpi optamus ſæcula!

Chorus Deorum cœleſtium ac Terreſtrium.

Hoc vovent unicè
Communi fædere,
Qui ſeſe conſecrant,
Et læti dedicant,
Cœlicolæ,
Terrigenæ.
Tu modò ſubditos
Dignare populos
Quantùm te diligunt
(Nam certò diligunt)
Diligere.

O. A. M. D. G.

Dem
JUPITER
abgelegte Huldigung.

DEr Begriff vorhabender Fabel ist so bekant/ daß es fast ohnnöthig scheinet/auf einen weitläufigeren Entwurff außzulauffen. Die Göttin Tellus, welche unter anderen Namen bald Berecynthia, bald Cybelle heisset/ hatte das grosse Risen-Geschlecht auf die Welt gebracht. Die berühmtiste neñten sich Enceladus und Ægeon. Ihr Hochmuth unterwande sich gegen den Götter-Monarchen / den Jupiter aufzulainen/ und der Himmel/den sie würcklich zu stürmen anfiengen/ schine nit mehr sicher zu stehen. Dise ihre Frevel-That besser auf dem Theatro außzuführen / hat noch ein und anderes auß der alten Poëten Rist-Kammer daher müssen entlehnet und gereimet werden. Sage also/ Enceladus und Ægeon habe ihr Parthey zu verstärcken / auch die übrige Schaar der Erd-Göttinen wider den Jupiter aufgewiglet/ mit so glückseeligem Erfolg/ daß Flora Vulcanum beredet/keinen einigen Donnerkeil/welche sonst in seiner Schmidten verfertiget wurden / dem Jupiter abfolgen zu lassen.

Es wurde ein gefährliches Außsehen gewonnen haben/ wofern nit Pallas unter der Gestalt der Göttin Diana Vulcanum hinterlistet / und diser himmlischen Waffen sich bemächtiget hätte. Die Erd-Risen oder Giganten lebten/ ihrer Einbildung nach / der Donnerkeilen halber ohne Sorg; müsten aber derselben Gewalt dazumahl erfahren/ da sie auf denen Phlegræischen Felderen in würcklichem Sturm begriffen/Berg über Berg zu sammen häufften. Der entsetzlich gestraffte Hochmuth Enceladi und Ægeonis sambt ihrem Anhang/ gaben den übrigen Erd-Götteren heylsame Gedancken ein/ihre Pflicht dem Jupiter abzulegen/ und den gehorsamen Huldigungs-Eid zu erstatten.

Erster Auftritt.

Die ober-irrdische Götter wünschen dem Jupiter Glück zu Antrettung deß Reichs. Und da selber nur die Güte und Mildigkeit zum Grund seiner Regierung legen will / gibt man ihm Anlaß zu förchten / es wurde villeicht Ernst und Schärffe nicht außbleiben dörffen.

Jupiter. Pallas. Mercur. **Götter Chor.**

Jup. Wolan wir seynd beliebt! was soll uns besser gfallen?
Was Trost und freude bringt beliebt seyn bey Vasallen?
Die Forcht bleib dem Tyrann. Er mag, wans ihm gefallt,
Bezwingen Land und Leuth durch Eysen-harten Gwalt.
Mich Freut geliebt zu seyn. Pall. und uns kombt süß zu Leben
In solchem Regiment. Nimm dann, was dir gegeben
Dein eygener Verdienst, nimm disen Scepter an,
Den kein so treue Hand, als dise, führen kan.
Der Trost, den wir empfinden, last sich nit gnug erklären.
Erlaube, daß wir dich mit Freuden-Schall beehren.

Chor.

Gute Zeiten, langes Leben,
Freud und Uberfluß darneben,
Wird herführen
Dein regieren,
Also schreyet,
Sich erfreyet
Die gesambte Götter-Schar.
Tantzt ihr Sterne in dem Reyhen
Unter Pauggen und Schalmeyen!
Ihr Planeten,
Müst aufftretten,
Und im feinen
Gold erscheinen
Eure Strahlen topplen gar.

Jup. Ich lebe nur für euch. Eur Freud und wolergehn
Ist mir das liebste Reich.

ARIA.

ARIA.

Wer auff der untersassen
Ihr Treu sich darff verlassen,
Baut auff kein leeren Sand.
Wo d' Lieb den Scepter führet,
Wird allzeit wol regieret:
Der Frid ist in dem Land.

Drumb wird kein Noth mehr seyn der Donner-Strahlen wegen,
Eur Treu erlaubet mir die selbe abzulegen.
Was mir deß Adlers Klau noch bringen wird, soll seyn
Nichts, als gekraustes Gold, und blancker Silber-Schein.

Pall. Ach ja! mein Vatter, daß doch allzeit ligen blib',
Was du ablegen wilst auß Treu-geneigter Lieb.
O! daß nit bald die Keyl gezucket müsten werden,
Zu züchtigen den Trutz der ungetreuen Erden!

ARIA.

Ein wünschens-werthe Sach!
Es wäre bloß durch Gütigkeit
Der Underthanen Schuldigkeit,
Und Hertzens-Treu zu g'winnen.
Allein! man gibt nit nach,
Die Untreu haltet doch kein Zihl,
Man häufft von Boßheit z'sam so vil,
Biß Gnad und Lieb zerrinnen.

Jup. Sie werden sich ja selbst nit also grimmig hassen,
Und lieber meine Gnad, als ihren Hochmuth lassen?
Es hat sie mein Befelch der Pflichten schon ermahnt
Durch den Mercurius. Doch ist uns nit bekant,
Was sein verziehen woll? Was ihm im Weeg da lige?
Was wichtigs muß es seyn. Wann ich mich nit betrüge,

Pall. Ist ers nit eben selbst? Jup. Getreuer Götter Both,
Was bringstu, daß ich hör? Merc. Es ist O grosser Gott,
Ein Sach so in geheimb, und still berichten solle.

 An-

Zweyter Auftritt.

Es wird zwischen Encelado und Ægeone denen Erd-Risen der Bund wider Jupiter geschlossen.

Enceladus. Ægeon. Briareus.

Encel. Lauff hin mit deiner Post; und dich zum Götzen trolle,
Du leeres Schwätzer-Maul. Was endlich, und wie weit
Reißt ein der Götter G'walt? Was wird es mit der Zeit?
Kleckt euch der Himmel nit? Soll auch das Erden-Rund
Euch dienen, damit nur sich füll' deß Ehrgeitzs-Schlund?
Wird dann dem Jupiter, dem frechen Himmels-Fürsten
Noch immer mehr und mehr nach neuen Cronen dürsten?

Ægeon. Wir leyden dannoch diß? Wir dulden Strick und Band?
Das Alte Risen-Gschlecht scheut sich nit dise Schandt
An offner Stirne da vor aller Welt zu tragen?

Briar. Heißt diß Titanen seyn? Heißt dises recht nachschlagen
Dem, der uns hat gezeugt? Was hilfft der große Stamm,
Wann uns vom Reich nur bleibt der Thaten-lose Nam?

Encel. Gebrüder! stillt die Klag, und lasset euch bewegen,
Den Grund für einen Bau, der groß soll seyn, zu legen.

Ægeon. Wo zihlet dises ab? Was hast du auff dem Brett?

Encel. Mein Geist mit seinem Zweck biß an die Sterne geht.
Es soll der heutig Tag noch etwas herrlichs zeigen,
Wann meiner Brüder Sinn zu meinem sich will neigen.

Ægeon. Der Brüder Sinn hat schon dem deinen zugesagt.

Briar. Kein Gfahr ist, so mit dir nit solle seyn gewagt.

Encel. Wolan. So sehet dort die blaue Himmels Auen,
Die ja ohn Neyd kein Aug ist mächtig anzuschauen!
Secht, sag ich, disen Plan! Was grosser Sternen Pracht!
Die Burg, wann ihr nur wolt, ist schon an uns gebracht.

Ægeon. Wer soll sein eygen Glück so unvernünfftig hassen,
Und eine Cron, die ihm schon zugehört, verlassen?

Encel. Das Ambt der Grechtigkeit muß einmahl ihre Waag
Vor aller Ehren-Welt auch bringen an den Tag.
Und da er meynt ein Herr zu seyn von zweyen Reichen,
Erkenne man, daß er von beyden müsse weichen.

Ægeon. Last sehen, was auch wir vermögen gegen den,
Der meynt, es könne ihm kein Gott an d' Seyten stehn.

ARIA.

ARIA.

Wir Risen
Wir haben ja längsten bewisen,
Was herrliche Gaben
Den Scepter zuführen wir haben,
Was in uns trefflichs wohn
Zur Königs-Cron.
Mit rechten
Was unser ist, last uns verfechten.
Die Faust und der Degen
Muß Jupiters Reich noch erlegen:
Kleckt unser Degen nit,
Helff d' Hölle mit.

Æge. Encelade, doch sag; ist von der Mutter z' hoffen,
Daß sie den grossen Bund, den wir zusam getroffen,
Mit ihrer Hilff bewehr? Es durffte gfährlich seyn,
Wann Berecynthia darzu wolt sagen: nein.

Encel. Kein Abschlag förchte ich. Sie wird gar freudig wöllen,
Wann man den Vortheil ihr recht wird vor Augen stellen.
Es hat sehr großen Trib ein Diamant-volle Cron,
Ein Scepter in der Hand, ein guldner Himmels-Thron.
Man kan der Erden schon und ihrer Zierd vergessen,
Wann nur Junonis Reich dargegen wird besessen.
Ich hab den ersten Stein bey ihr schon wol gelegt;
Der Bau soll weiter gehn. Eur Hand nur auch bewegt.
Ein jeder thu das sein. Ægeon, dir wird bleiben
Die Sorg, mehr Götter noch in unser Netz zu treiben.

Æge. Da soll kein Mangel seyn.

ARIA.

Wann die Thetis ruhig stehet,
Wann der Wind von Morgen wehet,
Lasse vollen Segel-Zug.
Dann das Glück pflegt fort zu eilen,
In ein Flug bey tausend Meilen.
O es leydet kein Verzug!

Dritter Auftritt.

Der Berecynthiæ will nichts Gutes vorgehen. Sie nimmet sich auß ihrem Traum ein traurige Vorbedeutung/ und den Untergang ihrer Söhnen zu Hertzen. Welches alles doch Enceladus der Mutter auß dem Sinn redet.

Berecynthia. Enceladus.

